



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

XXX. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)



S. Fiacrius Eremita insatiabilis erat in obsequiis Mariæ, quotidianis privata pietatis obsequiis non contentus, publica, quæ pluribus prodesse, molitus. Hujus honori templa, monasteria, hospitalia ædificabat, quibus erigendis ipse manus adhibebat; arbores ultrò se terræ immerferunt, ut templo B. V. ab eodem erigendo locum facerent. *Mayr.* Omnia nos invitant ad cultum Dominæ universitatis.

S. Fiacri ora pro me Deiparam, ut me sub suam maternam curam & protectionem suscipiat; in omnibus juxta beneplacitum Filii dirigat, omnesque petitiones meas, maxime sancti agonis desiderium impleri procuret. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: in memoriam 63. annorum, quibus Deipara vixit, toties terram osculabor.

Tu Mater pupillorum tuorum, audi ejulatum filiorum tuorum, extende alas tuas, ut fugiamus sub eas à facie inimici. S. *August. solil. c. 12.*

Quæstio: An die Assumptionis Deiparæ omnes animæ è purgatorio liberatæ sint? v. *Barrad. in Ev. to. 1. c. 11.*